

ciunt, quæ nos ea de re Apostolicæ Sedis scripta docuerunt. Quod sane idipsum est, quod Thomas de Lemos, Scholæ Thomisticæ publicus Actor, non semel in iis Congressibus contestatus est; satis nempe, atque abunde sufficere, quæ ab Innocentio I. Zozimo, Cælestino, Leone, Gelasio I. Felice IV. Conciliisque, adversus Pelagianos, illorumque reliquias celebratis, definita fuerant, ut Quæstiones, in controversiam adductæ, resolverentur.

Idem ergo Lovaniensium Academiæ respondet Innocentius XII. quod quis quærenti, exempli causa, de doctrina, a S. Augustino adversus Pelagianos defensam, responderet, si vel per otium, vel per injuriam temporum, in tot librorum, a sancto Doctore editorum, examen ingredi noller, aut forte non posset: *Ad internoscendam doctrinam, ab Augustino adversus Pelagianos defensam, id sufficere arbitror, quod Conciliorum Africanorum, & Arausicanæ, ac Valentini Synodi Canones docuerunt.* Quo dicto, non modo Augustini lucubrations, adversus Pelagianos adornatas, flocci non faceret, nec earum Synodorum canones aliud spirare, innueret, quam quod S. Augustini libris expressum est: immo verius compendiarium Augustinianæ doctrinæ Synopsim earum Synodorum Canonibus contineri, significaret: quibus scilicet introspicis, universa Augustini doctrina, tot libris diffusa, uno intuitu tota conspicitur. Sic Innocentius XII., cum in ea, qua premebatur, negotiorum mole, exactiorem illam Auxiliorum tractationem habere non posset, quæ tanta Sedis Apostolicæ gloria sub Clemente VIII. & Paulo V. fuerat instituta, id unum compendio reposuit: *Ad confidendam Dei gratiam, cuius operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est* (qua de re in Auxiliorum Congregationibus potissime tractabatur) *satis sufficere credimus, quicquid Apostolicæ Sedis scripta docuerunt.* Id unum videlicet significans, dogmata, in iis Congressibus controversa, in Innocentio I. Zozimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Felicis Rescriptis compendio contineri: ac de quæstionibus, ibidem agitatis, satis interim ex iis Apostolicæ Sedis definitionibus judicari posse, quid tenere, quid credere debeamus, donec, superata præsentium injuria temporum, plenius, ac distinctius de iisdem iudicium promulgetur. Quidni enim id aliquando futurum sperare liceat? Aut cur eam spem bonam nobis adimeret Innocentii XII. Rescriptum, Lovaniensibus datum? Quandoquidem, vocato ad superos Cælestino, qui ad confidendam Dei gratiam satis sufficere, dixerat, quæ nos Apostolicæ Sedis scripta docuerant (id enim ab illo mutuatus est Innocentius) explicatioribus alias de Divina Gratia definitiones edidit Apostolica Sedes, (1) queis plenius, distinctiusque sancita sunt, quæ primis illis fidei capitibus, a Cælestino digestis, summam continebantur.

Cæterum hanc nostram interpretationem Brevis Pontificii plane congruere, non id duntaxat evincit, quod ex illius verbis sponte fluat, non longius accessit, atque exorta, sed e re nata; verum & alia longe multa fidem illi locupletissimam faciunt.

Primum: Quotquot Romanæ Curiz formulæ norunt, satis exploratum habent, non eos esse Summos Pontifices, qui Prædecessorum suorum diligentiam, ac zelum, in dogmatibus præsertim eventulandis, ac discutendis, parvipendere soleant; cum contra potissimam gloriæ partem in illorum premeendis veltigis ponendam existiment. At si Innocentius XII. ita de exactiori illa tractatione,

sub Clemente, & Paulo habita, pronunciaffet, uti pronunciaffe, sibi fingunt, qui nobis eo ex capite negotium accesserunt, eorum certe Pontificum zelum, ac diligentiam contemisset: cum eas illi quæstiones integro decennio examinasset, quod eis ad fidem Catholicam pertinere viderentur.

Alterum: Si ideo superferret Innocentius ab exactiori illa tractatione, quod quæstiones, inibi agitata, nihil ad ea dogmata pertinere, crederet, quæ secundum Sedis Apostolicæ scripta tenenda sunt; profecto non ad præsens, & ad tempus duntaxat, ut ait, omittenda esset illa tractatio; sed nusquam in posterum de illa iterum suscipienda cogitandum esset. Siquidem, statuto semel fidei Canone, Theologis licitum semper erit, de incurrentibus minoris momenti quæstionibus pro arbitrio sentire, ac disputare.

Tertium: Qui absonum illum sensum Brevis Pontificii tribuunt, Innocentio XII. imprudentis animi, ac violati juris labem irrogant. Quid enim tam imprudens, ac cum juris legibus pugnans, quam, nulla præmissa de Divinis Auxiliis tractatione, (uti nullam tunc habitam, norunt omnes) ea dogmata opinione libera pronuciare, quæ, tanquam fidei capita, decenniali examine non ita pridem judicata fuerant? Neque tamen id obiter noto, quasi Molinianæ scholæ sententiam liberæ utcuque disputationi obnoxiam, non agnoscam: agnosco plane: at longe alia opinandi libertas est, ex pronuciario iudicio nata; alia disputandi, ex iudicii dilatione, permessa interim, ac tolerata.

Quartum: Tractationem, sub Clemente, & Paulo habitam, non exactam modo, sed & exactiorem appellat Innocentius: quo suam de illa existimationem prodatur, illudque per vulgatum effectum, ex quo causæ suæ præsidium potissimum accerlebant victricis Gratia defensores, suo calculo munit, atque confirmat: *Gratia operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est*: Unde Molinæ causa attonsa est, gratia operi, ac dignationi, gratia usum, liberique Arbitrii determinationem subtrahentis.

Quintum addere liceat, quod omnem difficultatem absolvat. Eminentissimus Cardinalis, Hieronymus Casanate, Romani nominis titulus, ingens Latii decus, Senatui, populoque Literatorum caput venerandum, ex cuius recenti interitu tantum sacris Musis dispendium accidit, is, inquam, Brevis Pontificii præ cæteris dignus interpres audiendus venit, qui in eo adornando Pontifici a secretis, ac manu fuit. Hunc porro non semel illis indignatum fensi, qui tam absonum ei sensum affingerent, ac longe, quam vellet, aliter interpretarentur, ut scholæ Thomisticæ, cui Patronus aderat munificentissimus, importatam injuriam, damnique illatum, effutirent.

Jam vero neminem movere debet Lovaniensium Theologorum supplicatio, Pontifici facta, qua ab illo declarari postularunt, Gratia per se efficacia, & gratuita Prædestinationis doctrinam nullam, hædenu emanatis, Apostolicis decretis damnatam, aut enervatam esse. Non enim id eo consilio declarari postularunt, quasi ea de re apud ipsos, eruditoseque cæteros dubitatio subesset aliqua; sed ut auid quorundam petulantia Pontificia auctoritate coerceretur, qui ea dogmata in Janfenii damnatione oblique petita fabulabant, suisque passim alphabeticis insurrebant, ut apud imperitos scholæ Thomisticæ invidiam concitent, & Augustinum ipsum per Janfenii latus petant. Quin immo, si Lovaniensium supplicationem cum Pontificii Rescripto conferamus, erit profecto, ubi mysterium demiremur. Quid enim, amabo, est, quod,

quod, petentibus illis, ut declareretur, duo hæc Thomisticæ scholæ dogmata nullo Ecclesiæ iudicio damnata, vel enervata esse, nihil eo de iudicio respondet Pontifex; nihil de iudicio contra Janfenium, in quo æmuli obtrahentes enervata Thomistica dogmata passim obtendunt: sed e contra, de solis Auxiliorum Congregationibus sermone habet, non esse, inquiens, opportunum, ut exactior illa tractatio habeatur. Itane, ut in Babelica molitione, petenti trullam, cæmentum offerret? Minime gentium. Sed eo Rescripto significavit Pontifex, tantum abesse, ut eorum dogmatum indemnitate consulere necesse sit, ut potius Auxiliorum Congregationem, ubi tam diligenter discussa, probataque sunt, suscipere oporteat; cuius esset dubio procul sententia pronucianda, si id præsentium temporum opportunitas pateretur.

Hæc pro exponendo Pontificii Rescripto, Lovaniensibus dato, abunde sufficunt. Quæ si minus refractariolis ingenis sapiunt, alio nos, multo que faciliori responso exolvemus. Duo nempe eo Rescripto contineri, dicimus; primum, quod ex instituto contendit Pontifex, non expedire scilicet, pendente de Divinis Auxiliis Controversiam definiri, ac declarari, quod Lovaniensium Theologi precabantur: alterum, quod ex occasione adfertur, uti suscepti ab summo Pontifice consilii ratio, clausula scilicet Cælestini, huic suo argumento accommodata. Certe, tametsi quod ex instituto rescribit Pontifex, ad fidei quæstiones attineret, ut in decretalibus, & Conciliorum sanctionibus evenit; nulla tamen ratio postulare, ut rationes, atque momenta, ad munendam fidei definitionem insinuata, religiose a nobis assensum extorquerent. Audi Melchiorum Caam, Episcopum Canariensem, id erudite edisserentem lib. 6. De locis, cap. 8. ubi Alexandri III. definitionem exponit; capite *Cum esses*, de Testamentis, qua decernit, alienum esse a generali Ecclesiæ consuetudine, & a Divina Lege, & a Sanctorum Patrum statutis, ut Testamenta, nisi quinquæ, vel septem testium fuerint subscriptione munita, penitus rescindantur. In Decretis Pontificis duo cum primis distinguenda sunt. Unum est, tanquam in-ventio, conclusioque Decreti; alterum, quasi ratio, & causa, a Pontifice reddita, ejus rei, quam constituerit. Atqui in Conclusionem Pontificis Summi errare nequeunt, si fidei quæstionem e tribunali Apostolico decernant. Sin vero Pontificum rationes necessarie non sunt, ne dicam, apte, probabiles, idoneæ, in his nihil est videlicet immorandum. Non enim pro causis nos a Pontificibus redditis, tanquam pro aris, & focis depugnemus. Alexander igitur non desinit, consuetudinem illiusmodi esse Divinæ legi contrariam, sed, quod Jurisperitis fere placere video, jubet, ut in legatis piis duo, vel tres solum testes a iudicibus exigantur. Hec Decreti hujus conclusio est, hic finis: nec dubium est, quin eam Pontifex iure quodam suo poterit prescribere. Sed si in ejus Rescripti confirmationem, Deuteronomii Lege utitur, (hanc quippe Divinam vincunt) si ad Canonum statuta revocat, si Ecclesiæ morem assert, non est opere pretium, rationes illas ad virum rescere. Quenadmodum si Concilia quædam desinant, duas esse in Deitate personas, Patrem, & Filium, assertantque in hoc illud quoque Genesios testimonium: *Pluit dominus a domino, non protinus in fidei iudicio errant, quamvis ex illo loco parum apte Trinitas comprehendatur. Existat item Synodus, ubi de perpetua Maria Virginitate pronuciatum est: ea re suadenda referunt Patres portam apud Ezechielem clausam. Irredeat si quis vult; sed iridebit tamen frustra.*

Serry Tom. I.

Non enim semper Patres in fidei quæstione causas asserunt necessarias, sed interdum verosimiles. Quod si etiam Pontifices hujusmodi ponendis causis quandoque falluntur; ne calumniandi sum quidem: tantum abesse, ut inde loci hujus auctoritas infirmetur. Ita plane eximii, & accuratissimi criteri Theologus, idemque Pontificæ auctoritatis vindex strenuus, quem, ut splendidum Anglicæ Scholæ iubar, suscipio, vixque ulli obferendum. Jam si in ipsis Constitutionibus, & Decretalibus, Conciliorumque statutis, ubi fidei summa decernitur, rationes, ac momenta definitivum ab ipsis definitionibus ita fecerunt opus est, ut prioribus facti error subire possit, seu falsorum instrumentorum allegatione, seu sinistra sensuum acceptione: quanto magis in Brevis Epistolari, ubi ab edenda definitione consulto temperat, levis aberratio subreperere potuit, Cælestini clausula perperam accipi, & peregrino argumento accommodari?

Ita respondeant necesse est, qui Baronii, Norisii, Surii, Uosii, Quæstelli, Suarezii, Sirmondi, Labbei sententiam secuti, Cælestini ad Gallos Epistolam, in hæc verba definere putant: *Dominus incolumis vos custodiat, fratres charissimi*: Reliqua vero adnexa Capitula Divo Prospero, aut S. Leonis adjudicant. Criticæ lapsus Brevis Epistolari Editori dubio procul adferunt. Adscribent & ii, qui cum ea Capitula summæ auctoritatis esse velint, subiectam tamen de quæstionibus incurrentibus clausulam additionem existimant, nec nisi longo post tempore Capitulis assutam. Et quidem Codices Manuscripti non pauci, ac nonnulli etiam cusi, missa clausula, Capitula referunt. Quia etiam Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, adversus Remigium Lugdunensem, & Prudentium Tricassinum scribens, recensitis decem Capitulis, clausulam silet; tametsi hæc illius instituto plus forte conducere, quam ipsa recensita Capitula: unde non levis suspicio subit, hanc a Rhemensis Bibliothecæ Codicibus abuisse.

Hæc silius profectui libuit, ut omnes intelligant, quam levi, quam futili niterentur argumento, qui objecta Paulo V. hujusce clausula evanida specie, iudicium de Divina Gratia controversiis morari, conabantur: (1) utque feri, ac succedanei Molinianæ causæ patroni, quibus hoc idem nuper in Belgio recudere libuit, fiduciam deponant, nec se eo deinceps scuto protegant. Jam Historicam narrationem resumimus, ac texturium ingressi, telam denuo capessimus, novoque labore recordimur.

CAPUT VI.

Paulus V., meliorem consilia secutus, causas resumit, novaque Congregationes instituit.

Um hæc irrequieta sollicitudine moverentur, non deerant qui publicam Ecclesiæ utilitatem, ac pacem privatis rationibus anteponebant. Adversus Cardinalis Perronii consilia virili animo stetit Jacobus Bossutius, Theologus Parisiensis, Consultorum unus, qui Pontifici maximo imminens Ecclesiæ periculum denuntiavit, si, injuncta controversia, Congregationes solverentur. Spondit, Academiam Parisiensem, e qua non ita pridem Epistolas, suæ in Sedem Apostolicam obferantur, & obedientiæ testes, acceperat, Pontificio iudicio obsecuturam; ipsumque etiam Christianissimum Regem, in Societatem licet inclinatam, Ecclesiæ iudicium, sepositis privatis affectibus, excepturam.

Bossutii studiis obsecundavit Archiepiscopus Ar-

N a

ma-

(1) Vide lib. 3. cap. 8.

(1) Vide Simonii Editionem.

machanus, Censorum caput; qui dirimendæ controversiæ necessitatem eruditissima lucubratione (1) demonstravit, superiorum Pontificum vigilantiam commendans in remediis adhibendis, quoties de Divina Gratia suspensas quoquo modo quaestiones suscitari contigisset. Rationes eo Scripto deduxit, & numero plures, & pondere graves, quibus maximi esse momenti significavit, ut concertationes illæ absque diuturniori mora desinerentur.

Prima erat, quod Quaestiones, in disputationem vocatæ, ex ipsa dissidentium confessione ad fidem Catholicam pertinerent, adeo ut mutuo sese Pelagianismi, & Calvinismi partes infumularent: tamen si Jesuitæ, Pelagianorum morem secuti, (2) futuri tandem iudicii metu percussi, Quaestiones opinionem liberam appellare malissent; ne, si sententiam Pontifex pronuntiaret, adversus Catholicam fidem errare, convincerentur.

Secunda, quod controversiæ difficultates adeo per omnes Theologiæ partes diffunderentur, ut universam pene Theologiam insci necesse foret, si quæ pars in errore erat, sensa sua tueri, palamque vulgare, permitteretur.

Tertia, quod duo Ecclesiæ Catholice Ordines celeberrimi in jus venirent: qui cum ex instituto suo sal rebus, & lux mundi esse teneantur, summa in rebus præsertim fidei confessione, ac pace, ad illuminandos, condendosque populos, jungi debent. Idcirco timeandum in primis, ne diuturniori iudicii procrastinatione dissensiones, similitates, lites, & huiusmodi alia odiorum semina succrescerent: tum ne pravæ illas affectiones corroborarent subintrantes in suscepta semel causa opinio constantiæ, defensio famæ, præsentio, livor, invidia, quæ animos litigantium sepius inficiunt: ac demum, ne qui forte ab initio in eam controversiam vel paulo ignorantius, vel indiscretius tantum ingressi fuerant, iusto Dei iudicio, ita prolabi permitterentur, ut offensam veritatem agnoscere nollent, aut etiam omnino non possent.

Quarta, quod in universam Christi Ecclesiam ex ea controversia usque adeo damnus diffusum esset, ut multi utriusque invenirentur partibus dissidentibus cæco studio affecti, dissensiones potius emulantes, quam quaestiones intelligentes. Unde viris eruditioribus, ac gemitus, simplicibus scandalum, laxioribus, ac dissolutis contemptus Catholicæ religionis.

Quinta, eaque prolixior, & efficacior ratio erat, quod huiusmodi Catholicorum dissensio Calvinianis, & Lutheranis lucro esset. Cum enim eis, uti nutantis seclæ argumenta, objicerentur a nostris tot illa de præcipuis doctrinæ capitibus intesta dissidia; eadem ipsi vicissim ex huius occasione controversiæ in Ecclesiam regerebant: quin etiam, eorum aliqui audacius improperebant, ideo in huius tractatione argumenti tandiu hæere Romanam Ecclesiam, quod in hoc sæculorum sine petisset lex a Sacerdote, consilium a Sapiente, & sermo a Propheta. Alii publice garriebant, diligentiori illa quaestione tractatione Apostolicam de Divina Gratia doctrinam Romanis felicibus, quam hæcenus illuxisse; illosque idcirco canonicam dogmatum definitionem edere nolle; ne ab ea, quam antea professi fuerant, fidei doctrina recedere viderentur. Nec deerant Lugduni Batavorum Professores Theologi, qui Synagogæ suæ combibones novi inter Romanos schismatis spebus alerent; palamque suis pollicerentur cælum novum, & terram novam.

Addebat Illustrissimus Archiepiscopus, illos nequaquam audiendos, qui vel controversiam ipsam,

data utriusque opinandi venia, silentio involvi, vel Synodum œcumenicam pro ferendo iudicio cogi vellent. Qui etenim (inquietabat) primum insurrant, si metu tumultus, ex alterius partis damnatione orituri, moveantur, injuriam potius irrogant, quam patrocinium impendant; cum sibi, aliisque suadere debuissent, eam, pro sua in Sedem Apostolicam reverentia, non obtemperatam modo, sed & fautorum, atque amicorum motus sedaturam. (3) Si doctrinæ consideratione ducantur, quam opinione liberam putent, atque inter profundiores quaestiones, a Cælestino neglectas, haberi vellent; recedunt a communi partium professione, quibus sensa sua, ut fidei dogmata, tueri, seque mutuo hæreseos infumulare liber; nec agitas de usu liberi arbitrii quaestiones intelligent, quæ ad ipsas fidei regulas, a Cælestino sanctitas, attinent; nec demum advertunt, multa secundum Molinam gratiæ Dei subtrahenda fore; cui tamen nihil esse subtrahendum, statuit idem Pontifex. Qui autem Concilium, post diuturnam adeo Sedis Apostolicæ tractationem, haberi postulant, Pelagianorum audaciam apertius imitantur; quos Augustinus lib. 4. ad Bonifacium, cap. 12. ita carpit: *Aur vero Congregatione Synodi opus erat, ut aperta perniciis damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi Congregatione, damnata sit; cum potius rarissima inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis existeret; multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi existerent, illic improbari, damnarique mereantur; atque inde per ceteras terras devotanda innotescere poterunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari; hæc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeant, saltem commovere conantur; cum potius vigilantia, & diligentia pastoralis, post factum illi comperens, sufficiensque iudicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur, atque nutrentur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur. Quin immo futurones illos, Pelagianis ipsi audaciores, habendos, ait, quod illi ad Synodum œcumenicam provocassent, quæ de nova hæresi sententiam diceret; isti Synodum appellarent, ubi non novus error præscribendus erat, sed sancti adversus antiquam hæresim Canones exponendi: quo iure nemo unquam Pontifices spoliaverat.*

Eruditam doctissimi Præfatis nervam libenter excepit Paulus V. cuius rationes ut serio pendit, finiendæ controversiæ necessitatem probavit, suisque familiaribus factus est. Hæc nihilominus intra moras, donec die 3. Augusti Cardinalis Monopolius, vir spectatissimæ virtutis, atque intrepide liberatis, æternum illi iudicium interminatus est, nisi pro fide iuramentum controversiam brevi dirimeret, Ecclesiamque, intestino bello discissam, Apostolica definitione liberaret.

Lemosium e vestigio vocavit optimus Pontifex, jubens, ut intra sex dies quaestiones, sub Clemente disputatas, in certas propositiones redigeret, quas ex iudicio Censorum vel damnare, vel definire opus esset. Officiam provinciam lætus, & impiger obiit Thomas de Lemos: attulit stata die damnandas propositiones triginta tres, (4) de viribus liberi arbitrii in natura lapsa, de comparatione gratiæ, & liberi arbitrii ad invicem, de prædestinatione, & gratiæ efficaci, Cal-

Calvini erroribus circa efficaciam Divinæ Gratia. Propositiones vero, in veritates catholicas constituendas, dedit numero viginti duas. Addidit Vir eruditus scripta alia duo, tribus columnis digesta; quibus extremos Pelagianorum, & Calvinitarum errores representabat; medias vero catholicas veritates, quæ Apostolica definitione faciendæ videbantur. Exstant in editis Lemosii, tom. 1. tract. 2. de erroribus Pelagianorum, cap. 3.

Verum, quia de gratiæ efficaci, & physice prædeterminante, ex occasione tantum, non ex instituto, partes dissidentes disputaverant; (1) nihil ante decernere voluit Paulus V., quam ea de re peculiariter disputatum esset: ne pro more suo, satis se non audiri, quererentur Molinæ vindices. Quapropter publicos congressus indixit apud Cardinalem Pinellum, coram Iudicibus, alias a Clemente designatis, celebrandos, ubi quaestiones illæ agitari, & eliquari possent.

Displicuit Cardinali De Avila disputationis locus: metus enim erat, ne, si absente Pontifice disputationes haberentur, Cardinales Perronius, & Bellarminus omnia perturbarent. Pontificem rogavit, ut Clementem VIII. imitatus, pro majori solemnitate, ac pace, congressus coram Sanctitate Sua celebrari sineret. Subiunxit Cardinalis Asculanus, operæ pretium esse, ut ante publicas disputationes brevem aliquis Actorum omnium analysim ageret, quam in prima Congregatione de scripto recitaret: ne qui tardius ad huiusmodi controversiæ iudicium vocati fuerant, minus æque fe gererent, seu facti dissimulatione, seu ignorantia Censuram. Consiliis acquievit Paulus V., statimque Congregationes coram semetipso habendas edixit. Secretarios die 2. Septembris a seivit, quibus exposita finiendæ causæ voluntate, Gregorio Coronello iunxit, ut die 14. coram sacro Concilio brevem Actorum omnium narrationem recitaret; eaque complecteretur universam, quæ ab exortis Lovanii diffidit ad obitum Clementis VIII. contigisset.

CAPUT VII.

Cœptas sub Paulo V. Congregationes perturbare, novisque difficultatibus involvere, nitiur
Card. Bellarminus.

Indicta itaque die 14. Septembris, cœpit Sexta Cause cognitio. Sederunt hoc ordine Viri Iudices, qui Romæ ex superiori Clementis VIII. designatione residui erant.

Congregationum Præses.

PAULUS V. Pontifex Maximus.

Cardinales.

Dominicus Pinellus.
Hieronymus Bernerius Asculanus.
Innocentius de Bufalo.
Petrus Aldobrandinus.
Anna Defears de Givry.
Ferdinandus Taberna.
Laurentius Blanchettus.
Paulus Emilius Sfondratus.
Pompejus Arigonius.
Franciscus de Avila.
Robertus Bellarminus.
Anselmus de Monopoli.
Jacobus Davi du Perron.
Antonius Zapata.
Serry Tom. I.

(1) Pegna in Diario. (2) V. Præfat. §. 8. (3) Pegna in Diario.

Consultores Episcopi.

Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus, Hiberniæ Primas.
F. Joannes de Rada, Archiepiscopus Tranensis, & Paëntis.
Julius Sanctius, Episcopus Agathensis.
Lælius Suesanus, Episcopus Neritonensis.
F. Hieronymus Palanterius, Episcopus Bitontinus.

Censores Theologi.

F. Joannes Baptista Plumbinus, Procurator Generalis Ordinis S. Augustini.
F. Gregorius Nunnus Coronellus, Ord. S. Augustini, primus Secretarius.
F. Anastasius Brixienis, Abbas Farfensis S. B., secundus Secretarius.
F. Antonius Bovius, Regens Carmelitarum.
F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbonicus Ord. S. Benedicti.

Actores contra Molinam.

F. Thomas de Lemos, Magister in Theologia, Ordinis Predicatorum.
F. Didacus Alvares, Magister, ac Regens Minervæ, Ord. Præd.

Molinæ Defensores.

Ferdinandus de Bastida, Societatis Jesu.
Bartholomæus Peres, Societatis Jesu.

Brevem antea Actorum narrationem de scripto recitavit F. Gregorius Coronellus; quæ, ut iteratis typis data est, sic eruditus omnibus innouit: (2) nemoque jam est, qui fidem vulgaris exemplaribus neget; ex quo præsertim tempore multa prodire, Angelicæ Bibliothecæ Præfæcti subscriptione communita. Quibus demum accessit 20. Februarii proxime elapsi testimonium R. P. Caroli Ricci, ejusdem Bibliothecæ nunc Præfæcti, qui post nonnulla emendata in edito Narrationis exemplo, istud cum autographo prorsus convenire, asseverat.

Cœpit Cardinalis Bellarminus ex ipsa prima hujus Examinis Congregatione turbas agere; (3) multa, hæsitans, atque interciso sermone, dixit, quibus turbatum animum ostendit. Cumque ei Cardinalis Monopolius ingenita libertate reposuisset, se, quæcumque dixerat, facillime confutaturum, nisi coram Summo Pontifice contendere, pudor esset; verbum exulcerato animo tulit, tamen internum animi sensum silentio teget. Verum non illi diuturna dissimulatio fuit. Conceptos ignes palam effudit, ubi ex Consultorum iudicio sancitum vidit, ut de prolixiori Scripto Clementis VIII., quindecim articulis distincto, disputaretur; num scilicet Augustini mentem feliciter attigisset? Doluit vir alias eruditus, rem, silentio, ut putabat, conspultam, in lucem prodire; timuitque, ne venerandum Pontificis nomen, aut ipsa per se lucubrationis eruditio, raperet Iudicum animos. Idcirco in eam, soluta sessione, animum acuit. Scriptum, eadem methodo, sed adverso consilio edidit, quatuordecim articulis distinctum, quo, congestis S. Augustini testimoniis, sententiæ Molinianæ systema, paulo mirius, & honestius expositum, confirmare nitetur; ut in eo variarum lucubrationum, & repugnantium in

Na 2 spe-

(1) Exstat in Collec. Pegne. Habetur in Appendice, nu. XII. (2) Apud Augusti, lib. De peccato Orig. cap. 23. (3) Vide supra cap. 1. (4) Exstat in Collec. Lemosii, & Pegna.

speciem testimoniorum concursu, sancti Doctoris mentem, dubiam saltem, & ancipitem faceret, eoque pacto res magis, ac magis implicarentur. Erant hujusce Scripti articuloꝝ capita istiusmodi.

(1) *I. Gratia Dei efficax secundum D. Augustinum in vocatione interna, alia, & secreta consistit; ea nimirum, que secundum propositum est.*

2. *Hec vocatio secundum Augustinum est efficax, quia opta est, & congrua mentibus eorum, quibus adhibetur: propterea ex uno modo vocatis alii sequuntur, alii non.*

3. *Hec vocatio secundum Augustinum talis est, ut ei consentire, aut dissentire, proprie voluntatis sit.*

4. *Hec gratia efficax, per quam Deus trahit, est interna veritatis revelatio, & ostensio, & specialis voluptatis, vel dulcedinis excitatio, & persuasio, secundum S. Augustinum.*

5. *Gratia Dei efficax, per quam venimus ad Christum, & cor lapideum auferitur, doctrina dici potest secundum Augustinum, non exterior, & publica, sed interior, & secreta.*

6. *Hec gratia efficax, quam occulte suo iudicio Deus dispensat, interior suasio, & persuasio appellatur ab Augustino.*

7. *Hec vocatio efficax apud Augustinum a gratia adiuvante distinguitur: altera precedit, & preparat voluntatem adiuvandam; altera adiuvat preparatam: nec est in nobis, nisi quando agimus.*

8. *Per hanc vocationem secundum propositum agit, & peragat Deus in nobis, ut credamus, & convertamur, & operatur in nobis velle, & operari.*

9. *Per hanc gratiam non operatur Deus in nobis salutem nostram, sicut in lapideis, vel sicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, secundum Augustinum.*

10. *Hec gratia efficax non se sola operatur nostram salutem; sed nostre etiam adhibenda est efficacia voluntatis.*

11. *Hec gratia efficax, ut de malis bonos faciat, eosque reformet, non uno, eodemque modo, sed diversis, & mirabilibus homines vocat.*

12. *Hec gratia efficax, per quam Deus movet ad fidem, & agit, ut credamus, visorum suasionibus id prestat.*

13. *Vocatio, que non est congrua, talis est, ut dedisset velle, & currere, nisi eam homo contempnisset: unde qui vocatus non venit, non debet alteri tribuere, sed tantum sibi.*

14. *Hec gratia efficax, per quam bonarum voluntatum auctor est Deus, non est aliquid commune bonis operibus & malis.*

Confidebat Bellarminus, Paulum V. lucubrationem illam una cum Clementis Scripto pro futurarum disputationum argumento traditurum; ut quis horum Augustini sensum fideliter expressisset, discerneretur. At tanto illum honore dignari noluit. Responsum duntaxat intra diem alterum paravit Thomas de Lemos, quam die 30. Sept. obtulit Sanctitati S. Sic ad singula capita breviter reposuit, ut in ambiguis, ac versatilibus propositionibus Augustinianum sensum a Moliniano fecerneret. Primum, octavum, & nonum utroque factus est; modo pro tollenda æquivocatione adderetur, secundum propositum Dei, non hominis: quo casu nihil significabant aliud, quam quod Clemens VIII. capitibus, primo, quarto, sexto, septimo, & undecimo docuisset. Secundum, & septimum, quibus Scripti huius vim pene omnem, atque versutiam sciam monuit, uti S. Augustino,

& Concilio Tridentino contraria, inficiatis est; nec sine feveriori Bellarmini censura, qui, cum nullam librorum ad Simplicitatem rationem haberet, lib. 2. De gratia, & lib. arbit. cap. 15. probationes tamen pene omnes eo ex fonte derivaverat. Quamquam & illa congrua vocationis verba, sicubi apud Augustinum leguntur, non de illa congruitate intelligenda veniant, quam facit natura, sed gratia.

Tertium in ambiguo stare, ait: quippe juxta Augustinum ita proprie voluntatis est assentiri, ut suum ipsum assensum præter virtutem gratiæ: juxta Molinam vero ita consentiat, ut, ipso nature peno, versatilem gratiam reddat efficacem. Quartum, quintum, sextum, & duodecimum eadem æquivocatione laborare, demonstravit, quia internæ Dei revelationes, & suasiones, quibus te vera illuminatur homo, ac persuadetur, non moralibus tantum excitationibus stant, aut humano modo animum pulsant; sed immutant, rapiunt, devincunt invincibiliter, & efficacissima potestate, qualis in homine, vel Angelo nulla est: seu, ut loquitur D. Thomas, (2) creatura suadet, & illuminat, proponendo obiectum; Deus autem, immutando potentiam.

Ambiguum decimi capitis sensum aperuit; efficaciam voluntatis desiderari, inquiring, ut Divinæ Gratiæ fructum, quemadmodum millies loquitur Augustinus, non ut ejus efficacia causam, uti Molina visum est. Diversos, atque mirabiles vocandi modos, de quibus in undecimo capite legitur, non illos esse, contendit, qui in gratiæ congruitate, a nativis hominum affectionibus pendente, siti sunt, uti præsumunt Moliniani; sed illos, quibus invitati, & excitati efficaciter tandem, ac physice preveniuntur. In capite decimotertio duplicem huius propositionis sensum distinguit: Si homo non contempnisset vocationem, Deus dedisset illi velle, & currere. Primum Sempelagianismi notavit, nimirum: Si homo non contempnisset vocationem, per hoc causa fuisset, ut illa vocatio congrua, & efficax in eo fieret. Alterum, ut Augustinianum, admittit; si nempe ea conditionalis non causam denotet, sed effectum, aut signum: quasi diceret: Si homo non contempnisset vocationem, esset signum, quod Deus efficaci sua gratia eidem dedisset velle, & currere. Demum caput ultimum gratiæ congruæ systemati contrarium ostendit. Hæc etenim, si Moliniani credimus, secundum entitatis suæ rationem, ac seclatâ præcipientia, communis est bonis, & malis; nec bonam hominibus tribuit voluntatem, sed solum bene agendi sufficientiam.

Nihil ad hæc Bellarminus; tamen non illum Lemosi Responso lauterit. De solo Clementis VIII. Scripto disputatio fuit, cuius felicem, ac prosperum exitum sequenti capite enarrabimus ex ipsis Coronelli Tabulis, quas hic pro more nostro compendio reddimus.

C A P U T VIII.

De prolixiori Clementis VIII. scripto in secunda Congregatione disputatur: approbatur in tertia.

B Revem, uti paulo ante monuimus, anteaclorum narrationem in priori Congressu habuerat Gregorius Corohellus, Consultorum unus, & publicus Actuarius, a Clemente VIII. datus, ut Congregationum diurna perferberet. Causam omnem ab ovo petiit, ab anno scilicet 1587. quo adversus Lessium, & Hamelium Academia Lov-

Lovanienſis pronuntiavit. Molina propositiones ad examen vocatas, Censorumque distincta judicium, compendio reducit, quantum ad internoscendam totius Controversiæ seriem, & gravitatem univervo Confessui sufficeret.

Absoluta hac omnium Actorum relatione, scribit Secretarius, voluit S. D. N. ut re, quam maxima fieri posset diligentia, expensa, DD. Consultores dicerent, quænam ad finiendam Controversiam modum aptiorem judicaret: quod sibi animus esset tandem finem ultimum imponere. Qua de re cum primum DD. Episcopi, & PP. Theologi dixissent; postea DD. Cardinales cum Sanctitate sua, ita huius negotii gravitatem, & quæ, ex illius diuturna procrastinatione, incommoda, & imminetia pericula rimeri possent, examinare: ut post longam deliberationem una fuerit communiter approbata Consultantium sententia; Congregationem, juxta formam, & tenorem a felicis recordationis Papa Clemente VIII. præscriptam, resumi debere; atque adeo injungendum utrisque Patribus, Predicatoribus, & Societatis, ut parati essent ad dicendum, quid sentirent de quindecim articulis, ex libris S. Augustini de præceptis, sibi alias exhibitis, ut postea ad ulteriora procederetur. Quod ita factum est.

Die itaque 20. Septembris 1605. secunda Congregatio coram Paulo V. celebrata est. Actum de prolixiori Clementis VIII. Scripto, (1) in quindecim Articulis distributo. Præmissis in ordine dixit Ferdinandus de Baltida; qui Predicatores cum Calvinianis oblique componens, uti vulpeculas tradidit, quibus celestis Sponsus vineam suam, hinc calamitosos temporibus, liberi arbitrii impugnatione demoliri, permisit. Tum ad institutum veniens, protestatus est, se Clementi VIII. lucubrationem cum doctrinam Societatis Theologis, Italis, Gallis, Hispanis, Flandris, Germanis, verbo, ac scripto contulisse, eosque omnes in hanc sententiam convenisse: germanam scilicet Augustini doctrinam iis quindecim Clementini Scripti propositionibus contineri; quinta duntaxat excepta, qua dicitur: Hec gratia habet efficaciam ab omnipotentia Dei, & a domino, quod sua Divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera, que sub celo sunt.

Difficultatis maximam partem in particula comparativa, sicut, positam, ait; quæ & per sese comparationem dicit, & (quod mirandum magis) a physica prædeterminationis auctoribus sumitur, quasi omnimodam similitudinem importans non tantum in dominio, quo Deus voluntatibus, uti & cæteris, sub celo positis, domineat, sed & in modo, quo causas naturales prævie, efficaciter, ac necessario applicat ad agendum; cum Thomistica scholæ Principes, Bannes, Alvares, Avila, alique plures liberum hominis arbitrium baculo, ferræ, cæterisque inanimatis instrumentis, Calvinistarum more, comparare soleant. Verum subjungit: Si tantum diceretur, Gratiam habere efficaciam ab omnipotentia Dei; posset quidem ita intelligi, ut ab Augustini sensu non abhorreret. In primis enim non propterea excluderetur respectus ad liberum consensum arbitrii, quia non diceretur, provenire ex sola omnipotentia. Posset etiam dici, habere gratiam ab omnipotentia Dei suam efficaciam, quatenus ab illa accipit suam virtutem agentis, sicut & suam entitatem. Et, quod caput est, dici posset, habere suam efficaciam ab omnipotentia Dei; quia ex eo, quod Deus est omnipotens, ei competit non solum cognoscere, que sit gratia congrua unicuique, sed potestas dandi illam, quando, & quomodo, & cui videt congruere, ut vocantem non respiciat: habetque infinitos modos vocandi, quibus movet voluntatem ad id, quod voluerit, faciendum.

Propositionem decimam, qua effectus gratiæ efficacis certus, & infallibilis asseritur, ratam habuit, modo illa certitudo ex indeficienti Scientiæ-Mediæ lumine, non ex ipsa per sese Divinæ voluntatis omnipotentia repetatur. Propositionem etiam decimamtertiam, nimirum: Hec gratia (efficax) est necessaria ad singulos actus, tantillum temperari, & immutari, voluit. Primo, quia per solam sufficientem gratiam habet quis omnia necessaria, ut agere possit; etsi careat efficaci, sine qua re ipsa non ager. Secundo quia ad actus malos, vel etiam moraliter duntaxat bonos, efficaci auxilio non egemus. Idcirco, terminis paululum immutatis, ponendum ait: Gratia efficacax Dei ad singulos actus pius datur; ne ab Augustini sensu, ac fide catholica proposito abhorreret.

Alia nonnulla levioris momenti subjungit Societatis Actor circa cæterorum articuloꝝ probationes, ex Augustino petitas, quas vel minus apposite Pontificis instituto accomodatas, vel minus ad probandum efficaces existimabat. Quibus omnibus minutatim expositis, Clementis Scriptum alia parte vellicavit; potissimum pendens controversiæ caput in eo desiderari, asserens; in quo nempe sita sit gratiæ efficacis essentia, quove pacto moveat hominum voluntates. Qua de re altum ibi silentium esse, ait; tamen multa in Augustino legere liceat, quibus ea quæstio, Prædicatores inter, ac Jesuitas maxime controversa, eliquari facile posset.

Baltidam excepit Thomas de Lemos, qui Pontifici Scripti auctoritatem non mediocriter extulit; illudque, qua late patet, uti absolutissimum Augustinianæ doctrinæ compendium, propugnandum aggressus est. Levioribus adversa partis difficultatibus occupatis, in quinta propositione demonstranda totus pene fuit, multa ex Augustino testimonia proferens, ubi efficacis gratiæ vim, & energiam omnem ex Divinæ voluntatis omnipotentia repetit. Adversarium durioribus verbis habuit, quod minus reverenter institutam a Pontifice comparationem invidioso sensu excepisset. Offendit, inquit, Pater, in illo verbo, sicut, dicens, quod denotatur in tali propositione, quod sicut Deus habet dominium in cætera omnia, illa movens sine libertate, ita habeat dominium in voluntates hominum, illas movens sine libertate: non attendens, regulam esse Sanctorum, & Theologorum, quod verbum, sicut, non dicit omnimodam similitudinem, sed in sua proportionem. Non ergo est sensus, quod, sicut Deus habet dominium in cætera naturalia, ad movendum ea sine libertate, ita habeat dominium super voluntates hominum, illas movendo ex dominio tali sine libertate. Sed sensus est, quod, sicut Deus ex sua omnipotentia, & dominio, quod habet super cætera omnia, potest efficaciter movere causas naturales ad operationes naturales; nec ex tali dominio tollit ab illis operationibus, quod naturales sent; ita habet Deus dominium supra hominum voluntates, ad movendum ipsas ad suos actus liberos, non tollendo ab illis actibus libertatem, sed illam in illis causando, ut docet S. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. Itaque hæc propositio certa secundum fidem videtur; sicut Deus habet dominium supra omnia, que sub celo sunt, ut faciat, ea facere, quodcumque ipse voluit, ita habet dominium supra voluntates hominum, ut faciat, eas libere facere, quodcumque voluerit ipse: ita quod verbum, sicut, dicat efficaciam dominii Dei super omnia alia, & super hominum voluntates, proportionem servata, & servata propria cujusque natura. Quod ita est verum, ut etiam apud medicos Theologos manifestum sit.

Nec minus strenue obiectum suis Calvinianum,

ob

(1) Exstat in Collec. Lemosi. (2) 1. p. q. 108. art. 6.

(1) Exstat in Append. Num. X.

ob usurpationem baculi comparationem, retudit. Dixit præterea Pater iste, subiunxit, quod aliqui Patres ex Predicatorum familia, quia assererent efficaciam gratiæ provenire ex Dei omnipotentia, & dominio prædicto, constituerent, liberum arbitrium moveri, sicut quoddam inanime, aut sicut baculus, &c. Ac si non loquantur expresse, sicut Scriptura Sacra, & in eodem sensu Scriptura. Reprehendat ergo, si placet, quod dicit Scriptura: Assur, baculus furoris mei; & alibi: Virga indignationis. Numquid, cum hoc dicit Scriptura, constituit Assur inanime quoddam? Etiam apud tyrones in Theologia, ista non dicuntur, nec opponuntur. Quia sensus est, quod sicut baculus se habet respectu manus moventis, ita quod, si non moveatur a manu, nihil facit, ita homines respectu Dei se habent, ut, nisi prius moveantur ab ipso, non operentur suas liberas operationes. Reprehendat etiam Prophetam Jeremiam, & Apostolum; quia dicunt, homines esse sicut lutum in manu Dei: & dicat, constituere Scripturam homines, ut inanime quoddam. Et tandem, quia Christus Dominus dicit: Ego sum vitis vera, dicat dixisse, se esse inanime quoddam sine libertate. Non igitur intelligenda sunt ista ita crassa Minerva.

De lumine Scientiæ-Mediæ, in quod gratiæ efficacis certitudinem refundendam, Baftida contendat, nihil, post habitas eo de argumento sub Clemente Disputationem, addendum, existimavit: cum jam in triplici Sessione præjudicata res esset.

Propositionem decimam-tertiam, recte omnino a Clemente positam, defendit, ut Pelagianorum error exploderetur, qui gratiam ad singulos actus minime necessariam gariebant, eamque ad majorem duntaxat agendi facilitatem desiderari, fabulantur. Quid enim, si per solam gratiam sufficientem habeat quis omnia necessaria, ut agere possit; cum omnia necessaria non habeat, ut re ipsa bene agat? Aut quid obest, si gratiam efficacem ad singulos actus necessariam indistincte vocaverit Pontifex; cum nemo adeo stipes esse possit, qui non id de piis actibus dictum statim intelligat? Quo pacto Christus ipse de bonis duntaxat operibus facile intelligitur, tamen indistincte pronuntiaverit: *Sine me nihil potestis facere.*

Ultimo tandem loco contendit Vir eruditus, eo Pontificis Scripto universos Pelagianorum errores cumulativè confutari, illo præsertim in capite, ubi gratiam a Deo concedi, defenditur, non quia volumus, sed ut velimus. Quo uno fidei dogmata hæresim illam omnem funditus everti, monuit Augustinus.

Priora dicta redintegravit Societatis Orator. Egredere tunc, Clementis VIII. lucubrationem, qua nihil Pontificia auctoritate definitur, a Lemolio magnificentius commendari: quasi eam ipse citra læsæ Pontificiæ Majestatis crimen impugnavit non potuisset. Quocirca sacrum Confessum, sua in Sedem Apostolicam reverentiæ, humilitatis, ac modestiæ testem appellavit: mox ad Lemolii dicta circa quintam propositionem proluxe reposuit. Quocirca nihil in primis obesse, inquit, quod ad Divinæ voluntatis omnipotentiam confugiat Augustinus, ut Gratia efficaciam, & infallibilitatem ostendat; quia ad id unum hoc in negotio valet Divina omnipotentia, ut varia media usurpare possit, quibus persuadeat unicuique, quod vult. Immo, subiunxit, si res attente consideretur, Divina omnipotentia magis elucet in eo, quod Deus ita habeat in potestate sua voluntates hominum, ut faciat, infallibiliter facere, quod voluerit, per media, quibus adhuc resistere, & repugnare, non implicat, quam in eo, quod faciat, illas facere, ita physice prædeterminando ad unum, ut contradictionem implicet, dissentire.

Particulam, Sicut, idcirco a se improbatam, dixit, quod ab adverte partis auctoribus non aliter, quam a Calvino, acciperetur; quatenus scilicet voluntatem a Deo moveri, significat, absque ulla dissentienti potentia, uti bruta animalia, cæterave, sub celo posita, agentia necessaria. Id vero ut ex eorum testimoniis evinceret, nonnulla Bannesi, & Avila loca protulit; ubi voluntatem humanam necessitate consequentiæ, seu infallibilitatis, ad ea ferri, docent, quæ Deus pro suæ voluntatis imperio fieri decernit. Quinetiam & illis criminari vertit, quod Calvinus supremum illud Divinæ voluntatis imperium, gratiamque se ipsa efficacem ipsidem, ac ipsi, testimoniis Augustini defendit.

Postmodum Augustini testimonia, partim in Clementis Scripto, partim a Lemolio in hujus quintæ propositionis confirmationem adducta, ita emollivit, ac temperavit; quasi Deus, pro suo in hominum voluntates imperio, solis eas invitationibus, ac suasionibus inclinaret. Sæpiusque Lemolium non sine stomacho provocavit, ut ad illa explicite reponeret, quæ in secunda ad Simplicianum questione habet sanctissimus Doctor; unde moralis, & congruæ vocationis doctrinam mirum in modum adstruit, præsumebat: Cujus autem miseretur, se cum vocat, quando scit, ei congruere, ut vocantem non respiciat. . . . Cum Deus deserit, non sic vocando, quomodo ad finem movere potest, quis etiam dicat, modum, quo persuaderet, ut crederet, etiam Omnipotenti desuisse?

Nonnullis demum breviter additis, ut efficacis gratiæ certitudinem ex Scientiæ-Mediæ peti, demonstraret; contendit Molinæ Vindex, eo quidem Scripto hæresim Pelagianam cumulativè confutari; nihil tamen in eo legi, quo præsentis de gratia ex se efficaci controversia dirimi, aut hæresis Calviniana refelli possit.

Quatuor ad ista reposuit Thomas de Lemos, a mihi ut abstinens, ne sacrum Confessum prolixius detineret.

1. Calvinismi accusationem, suis obiectam, retudit, qui necessitatem duntaxat infallibilitatis defendant, qua fit, ut homo quidem gratiæ obistere nequeat in sensu composito; possit tamen in sensu diviso. Unde & Calvino nequaquam succensendum, ait, quod supremum Divinæ voluntatis imperium, & gratiam se ipsa efficacem ex Augustino propugnari; sed quod extinctam humani arbitrii libertatem, ex iis Catholicæ fidei principiis intulerit. Quo vitio non Thomistas, sed Molinianos laborare, demonstravit; dum ex gratiæ se ipsa efficaci hypothesis liberum arbitrium sublatum iri, vociferantur.

2. Obiecta Augustini testimonia ex secunda questione ad Simplicianum exposuit de congruitate, non a natura, sed a gratia, profecta: Sic ut Deus unumquemque eo modo vocet, quem aptum, & congruum novit, ut sequatur, & credat, quatenus gratiæ suæ vim, & efficaciam apprime novit. Addidit, persuasionem pro interna, & efficaci voluntatis immutatione ab Augustino ubique passim usurpari, & a simplici suatione omnino fecerit, quæ tamen ab interna inspiratione proficiscatur, legis tamen, ac doctrinæ loco ab eodem Augustino reputata est.

3. Gratiam operantem non ideo a cooperante fecerit, demonstravit (ut Baftida inter dicendum innuerat) quod illa consensum hominis antevertat; ista non item; sed quod una ad rectam finis intensionem hominem moveat, altera ad rectum, ut Scholastici vocant, mediorum delectum.

4. Demum Scientiæ-Mediæ ex Angelicæ doctrinæ principis exagitavit.

Iis

Iis omnibus nihil motus Baftida, Calvinismi expofulationem instauravit. Cumque ad id probandum eo confugisset, ut nihil aliud a Calvino dictum, obtenderet, quam quod Thomistæ ipsi palam profiterentur: hominem, scilicet, gratiæ dissentiri non posse in sensu composito, hoc est, quandiu gratiæ imperio subest; tamen in sensu diviso possit, dum nempe gratia efficacis caruerit, finistram illam Thomisticæ sententiæ expositionem (quam jam alias sub Clemente VIII. in 67. Congregatione abusus fuerat) confutavit Lemolius; qui Calviniani erroris capita quatuor recensuit, a quibus Thomistæ quam longissime abessent. 1. Libertatem humanam Divinæ Gratia imperio excidi, fatalemque, ut Theologi de Schola loquuntur, consequens necessitatem ex æterna prædeterminatione suboriri. 2. Nullam dari gratiam sufficientem, quæ voluntatem excitet, ac moraliter moveat. 3. Gratiam efficacem imperio tyrannico in humana voluntate dominari. 4. Deum equali lance in malum, ac in bonum impellere, omni prorsus entitatis, ac deformitatis distinctione posita.

Ad hæc, dicentem stetit Cardinalis Perronius, explicationem Calviniani erroris interpretationem desiderans. Calvinus, inquit ille, non erravit ita absolute: Nam in Adamo ante peccatum admisit libertatem: Neque secundo dixit, præscientiam Dei tollere libertatem: Immo tertio admisit libertatem ad opera moralia. Cui vestigio Thomas de Lemos: Illustrissime Domine, ego dicam omnia, quæ Calvinus dixit in hac materia. Ipse aliter locutus fuit de Adamo ante peccatum. (1) & aliter de homine post peccatum, ut optime dixit Illustrissima Dominatio Vestra. Ante peccatum, dicit, habuisse libertatem: neque pariter dixit, illam præscientiam, qua Deus vidit illud peccatum, abstinuisse ab eo libertatem, quia constituebatur Calvinus illam præscientiam ante peccatum ipsum, factum ex humana libertate. Si autem posuisset Calvinus illam præscientiam post tale peccatum, utique dixisset, illam ledere libertatem. Ea fuit sententia Calvinus de Adamo ante peccatum. At vero de Adamo post peccatum, dixit primo, liberum hominis arbitrium extinctum fuisse. Fides autem Catholica dicit, non fuisse extinctum, sed vulneratum, læsum & extenuatum. Deinde dixit, Deum decreto suæ voluntatis determinasse, quid homo facturus esset: ex quo decreto dicit, quod fuit ablata hominis libertas. Dixit præterea, quod illo decreto ita Deus determinavit hominem ad malum, sicut ad bonum: de quo damnatur a Concilio Tridentino. Quæ omnia Calvinus deduxit ex illo pravo principio: Quod necessitas, orta ex decreto Divino, tollit libertatem, &c.

Absolute Eminentissimo Perronio, ultima tentavit Ferdinandus de Baftida: tot illos Thomisticæ Scholæ circuitus eo recidere, inquit, ut physicam prædeterminationem ad materiale peccati tenerent. At novam hic questionem induci, reposuit Predicatorum Orator; in quam tamen pro argumenti affinitate ingressus esset, dum de physica prædeterminatione disputandum, ediceret Sanctissimus Pontifex. Eoque pacto soluta Congregatio est.

Judicium Congregationis de Scripto Clementis VIII.

(2) Die Mercurii, 21. Septembris 1605. hora 12. resolvit Congregatio, quindecim articulis, propositis a sanctis recordationis Clemente VIII., contineri formalem doctrinam S.

Augustini: & quintam propositionem, exceptam a Patribus Societatis, esse formaliter assertam a S. Augustino. P. Regens Collegii Carmelitarum dixit, propositionem quintam posse dupliciter intelligi: vel tantum quoad factum, ut scilicet pendeat efficacia gratiæ ab omnipotentia Dei, quam habet in omnes creaturas, & etiam in voluntatem, & hoc sensu esse doctrinam S. Augustini: vel, ut etiam impliciter modus; ut scilicet, sicut Deus sua omnipotentia, decreto omnino absoluto, facit operari alias creaturas, ita ut, posito tali decreto, non possint non operari; ita etiam cum voluntate eodem modo utatur sua omnipotentia. Et in hoc sensu dixit, non esse sententiam S. Augustini. Dimittitur Sessio prope horam 16.

CAPUT IX.

De Gratia se ipsa efficaci Disputationem edicit Paulus V. Inducias Jesuitæ postulant. Quid interim Thomas de Lemos.

Post lata de Clementis Scripto Censuram judicium, Paulus V., Societatis supplicationibus oblectus, Gratia ex se efficaci, ac physice prædeterminanti diem dixit. Futuram disputationem argumentum per Secretarios Congregationis Theologice denuntiari, iussit, die 26. Septembris: *Si Deus sua efficaci gratia movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non solum interius suadendo, invocando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; sed etiam vere, & adire proprie, salva tamen humana libertate?* Et, *An talis efficacia gratia convenienter ab aliquibus Scholasticis physice prædeterminatio dicatur?* Ex quo quidem indicæ disputationis themate compertum habes, in hoc uno fuisse controversiæ summam: Num gratia ex se se, & ab intrinseco effectus efficacis? Alterum vero, de physice prædeterminationis vocabulo, ad gratiæ victricis energiam exprimendam usurpando, accessione tantum, ac veluti de mera questione nominis (modo res ipsa foret in tuto) tractatum esse. De gratia itaque per sese, & ab intrinseco efficaci novies ex instituto disputatum est. Die scilicet Octobris 12. questio universim exponi, & pertractari cepit. Die 26. ex Sacram Scripturarum oraculis singulariter agitata fuit. Die 9. Novembris ex Ecclesiæ Conciliis, ac maxime Tridentino. 22. ex D. Augustini principiis. 15. Decembris ex aliorum Patrum testimoniis. 10. Januarii anni sequentis, ex objecta ejus cum Calvinii erroribus consensione. 15. ex affectibus nonnullis absurdis. Februarii 15. ex doctrina, & principiis D. Thomæ. Ac demum die 22. ex Doctorum Scholasticorum auctoritate. Quinquies proferendis suffragiis convenere Judices. Die 15. Octobris, 29. Novembris, 3. Januarii, 1. Februarii, & 1. Martii: totidemque vicibus pro Predicatoribus pronuntiatur.

Næ igitur festivi hujus Historiæ Corruptores! qui usque adeo vitandis quibusvis apertissimis documentis assueti sunt, ut ne Gratiam physice prædeterminantem in hisce Congregationibus probatam fateantur, de illa ne disputatum quidem, effutiant. Ac, quod lepidum magis, ficitis Scholæ sue triumphis mentem pasti, nepotum fidem comice provocant, quid de Thomistica Schola futurum, si unquam sentia ejus in tam sancti iudicii fornacula ardere contigerit. Cum, nostre doctrinæ absolutione habita, inquit Christophorus Ortega, (3) Doctores nostri opposita sententia Lu-

(1) Ita plano Calvinus lib. 1. Institut. cap. 15. §. 8. & lib. 2. cap. 5. §. 18. (2) Ex Act. Secret. (3) Cent. de Deo uno cont. 3. disp. 1. quest. 4. art. 3.

iberanensis, & Calvinismi, a Tridentino damnati, licet intentarent; longissimarum anæctarum disputationum tædio, alioque Pauli V. mentem advocantibus curis gravissimis, disputationes solute, atque in liberius tempus dilatae sunt, non neglectæ. Quæ nobis actoribus si habeantur; & tamen adversarii pro sua eruditione, & Theologica dexterritate, causa non occiderint, tunc demum æqua utriusque doctrina laus & commendatio a Sede Apostolica erit. Audaciori scurrilitate harricatur, ac varem agit Franciscus Perrinus: *Diu, inquit, (1) multumque Rome, & magna animorum contentione disputatum est a Doctoribus Ordinis S. Dominici, & Societatis Jesu: ac post longum, & acerrimum causæ examen, libera mansit, & inobscure Scientia-Media. De Prædeterminatione physica quid futurum sit, si eam aliquando in tam sancti iudicii fornacula ardeat contingerit, incertum est. Vos dicite posteri.*

Quid futurum, dixerint posteri, per me licet: interea quid olim rei fuerit, Acta dicunt. Dicunt & ipsi Moliniani causæ partarii, qui novem de Gratia prædeterminante disputationes, sub Paulo V. institutas, referunt. Tameñ, ut adulari sibi solent, triumphum sibi accinant, audaciusque Prædicatoribus insultent, tanquam in hanc controversiam inviti venerint, nec nisi iniquo, ac reluctanti animo, eo in stadio decertarint. At putidam calumniam dissipat Secretarii fides, ejus in Actis ita legimus: (2) *Quomodo sepe alias inter Patres Prædicatores, & Societatis, concertationes de Christi gratia adjuvante, & ejus efficacia habita fuerint, & serio de illa insinuatæ disputationes sub felicitæ recordationis Clemente Papa VIII., quoniam tamen Patres Societatis provocarunt ad peculiarem de eadem re disputationem, idque insistentius postularunt etiam nunc a S. D. N., quod & Patres Prædicatores sibi gratissimum fore, dixerunt; re æquissime perpensa, questionem ea de re proposuit.*

Verum qui cæteros ignavia confidentius inculant, non ita, ut iactant, solertes, & alacres in hanc palestram ingressi sunt; quam ea duntaxat mente aperiri supplicaverant, ut ipsi vicissim Actorum conditionem inderent. Cum primum enim a Paulo V. disputationis argumentum inditum est, inducias quesivisse, seque minus pro agitanda questionis amplitudine paratos confessi sunt. Cardinalis Pinelli bona apud Pontificem officia rogavit Baftida, & obtinuit, ne ante viginti circiter dies disputationes haberentur. (3)

Nonnullus offendit tam insolens agendi ratio; nec satis facile erat intelligere, cur qui toties ad hanc controversiam provocarent, jam tandem, dato certaminis signo, pedem referrent, gradumque desererent. Idcirco quorundam opinio fuit, eos ideo inducias quesivisse, quod solis Eclipsim, sequenti mense futuram, finitrum quidpiam in Pauli vitam portendere, suspicarentur, unde Controversiæ iudicium declinare possent, modo de industria tempus ducerent. Quod ubi ex sententia nequaquam successisset, compertum est, cæteris ludibrio fuisse, quasi qui Eclipsim ipsimet passi fuissent.

Interea dilationis hujus occasionem arripuit Thomas de Lemos, suis ut rebus opportune consulere. In Arcem S. Angeli admitti petiit; ubi jubente Paulo V. secretiora Concilii Tridentini Acta, ejusque Theologorum privatas lucubrationes per dies aliquot evoluit; multaque ex iis ad Thomistica sententiæ defensionem desloravit, quæ, uti iusta causæ suæ præjudicia, Pontifici detulit. Tractatum etiam adornavit de physica prædeterminationis vocabulo; (4) quod a nonnullis etiam

gratiæ seipsa efficacia defensoribus minus probari, inaudiverat, aut certe minus antiquo usu videri consecratum, ut Pontificiæ Definitioni possit inferri. Ostendit in primis Vir meritisissimus, physica prædeterminationis nomen non aliter a Prædicatoribus usurpari, nisi, ut motionem Dei præ-viam, ac veram significet, qua non suadendo tantum, alliciendo, invitando, excitando, aut alter etiam interius moraliter attrahendo, sed vere, proprie, realiter, & active determinando, voluntatem applicet, & inflectat: quæ duo si semel a Pontifice definiti liberit, frustra de vocibus litigabitur; dicente Augustino, lib. 1. Retract. cap. 15. *Non resistendum est, nec de verbis, cum res constat, controversia facienda est.*

Quo loco observari obiter a Lectioribus velim, quam frigide, quam subleste Moliniani Thomistas, Gratiæ seipsa efficacia vindicet, & ad hujus maxime dogmatis defensionem excubantes, Prædeterminantes per desum appellarent, ac etiamnum appellent: quasi hac una Prædeterminationis voce, in quam tamen minus intendat, totum victricis, & efficacia Gratiæ mysterium situm, crederent. Quidni potius, si nominibus ludere libet, *Vitricis, aut Efficaciae Thomistas appellent?* Sua sic ludo veritas inerat.

At, ut ut se res habeat, nihil sales illos, nihil facetias, scommata, dicitæria, Divinæ Gratiæ Vindices morantur: sua quoque, ab Pelagianis imposta per contumeliam, cognomina passum Augustinum, satis norunt; Traducianum scilicet, ob assertum Originale Peccatum, ex Adamo traducianæ gentis Primatum. Libro 1. Operis imperfecti contra Julianum, cap. 66. & 76. Quod illi primum impostum nomen ab Aniano, perulantis ingenii viro, ejus operas Pelagius, & Orontius ad sectam promovendam locarunt; ut ex ejus Epistola Nuncupatoria versionis Latinae Homiliarum D. Joannis Chrysolomi de laudibus D. Pauli, colligi potest: tum deinceps frequentius ab Juliano per ludibrium decantatum: cui & familiare præcæteris erat, S. Augustinum, inter disputandum, dicitæris profcindere: *Namidiæ contrarium, tractatorem pœnum, Philosophabstrum, pibillo obtusorem, pœtrorum asinorum vocitate.* Ut hinc noveris, quomodo ex fonte insulsa illa dicitæris ludendi, & illudendi licentia fluxerit.

Subjuxit Thomas de Lemos, duo illa vocabula nec ab Ecclesiæ usâ aliena esse, nec ad rei controversiæ significationem perperam usurpari: cum apud Dionysium Areopagitam, Joannem Damascenum, ac D. Thomam, prædeterminationis nomen sepius occurrat; nec ab simili sensu *Uspirius* vocabulum in Paulinis Epistolis, & Ecclesiæ Græcæ Patribus legere liceat; quod æque prædeterminationis, ac prædefinitionis nomine reddi potest: immo cum ipsam physice vocem, ad rei ejuspiam veritatem, propriatèque significandam, (quo sensu hic a Thomistis accipitur) usurpaverit Concilium Ephesinum, ubi pro definienda vera, ac reali in Christo Domino naturarum unione, ita decernitur: (5) *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostasim; eaque divinatæ conjunctione easdem inter se necit, que est secundum dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem; & non ea potius, que est, hæc sunt verba, secundum unionem physicam, Anathema sit.*

Tertio demum loco demonstravit, non ideo, si quid novitatis iis vocibus, inest, auctorioribus succendendum, quos ad eas usurpandas facilius cæterarum vocum abusus, ipsaque adversariorum importunitas impulisset: quemadmodum nec Concilii

his œcumenicis succensum, quibus pro varia necessitate temporum, Homosion, Theotocon, Transubstantiationem, aliaque id genus nova vocabula mutuari, necesse fuit, ut Christianæ fidei veritates explicatius fancerentur: Aut certe hanc a Scientiæ-Mediæ inventoribus veniam dari posse, quos gravioris culpæ conscientia Poetæ (1) dicitur usurpare cogit: *Scimus, & hanc veniam petimusque, damusque vicissim.*

Feliciter omnino cessit Lemofii lucubratio. Primus in ejus causam descendit Cardinalis Monopolis, qui illam, editis etiam scriptis, coram Pontifice Maximo strenue defendit: idemque deinceps Censorum ordo pronuntiavit, dunt, auditis mutuo congressu Partibus dissidentibus, de gratia physice prædeterminante sententiam dixit, uti minutatim ex Coronelli tabulis referemus.

CAPUT X.

De Gratia se ipsa efficaci in quarta Congregatione generalium disputatur: approbatur in quinta.

DE 12. Octobris 1605. quarta Congregatio, præsentè Paulo V., celebrata est. Disputatum: *An Deus sua efficaci gratia moveat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non solum interius suadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo, sed etiam vere, & active proprie, salva tamen humana libertate? Et, An talis efficax gratia convenienter ab aliquibus Scholasticis physice prædeterminare dicatur?*

Disputationi longo sermone præfuit Ferdinandus de Baftida. Questionem hanc, qua non de vulgari re aliqua, sed de gravissimo sanctæ fidei dogmate certari, fastus est, non in unius paucorum horarum Congregationis angustias coartari, petiit; sed tot supplicanti Societati concedi cognitionis dies, quod eliquandæ veritatis necessitas, ipsiusque Sanctæ Sedis honor exigeret. De Censoribus durius exoptulavit; qui cum ea de re, multos ante annos, in aliis Congregationibus pronuntiant; fidem quodammodo suam obligaverant; jamque, judicata quodammodo causa, ad audiendum accedebat. Quin etiam de Sanctitatis Suez justitia, prudentia, benignitate, sperandum inquit, illam Ordini Religiosorum, de Ecclesiâ non male merito, nec ad ei intervendum profus inuixi, humiliter supplicanti minime negaturam, quod nec hæretico quidem negaretur, si audiri, & cognosci causam suam vellet ab his, qui de illa non præjudicasset, nec sibi ullo alio nomine suspecti essent.

Declamatoris audaciam ex templo coercuit Beatissimus Pater: *Respondete, inquit, al dubbio, e lasiate quæstio investite: a che proposito si fanno quæstio investite? hoc est: Respondete ad dubium, & ab his omnibus abstinete: procul hinc acerbitates istæ: cui bono tot cruda verba? Congressus tamen benigne concessit, quotquot ventilandæ questionis sufficerent.*

Ad institutum subinde progressus, tria fecit actionis suæ capita, de quibus ea se claritate dicitur, sponddit, ut quodammodo cerni oculis, & quasi contractæri manibus possent.

Cæpit igitur a declaratione terminorum, ut schola loquitur, quibus tota stabat proposita controversia: nimirum: *Auxilii efficacia, physice prædeterminationis, & motionis moralis.* Auxilii efficacia nomine gratiam significari, dixit, qua Deus non solum prestat voluntati, ut agere possit, verum

Serry Tom. I.

etiam ut agat. De physice prædeterminationis voce observavit, ea neque intelligi posse Divinum decretum, quo Deus prædefinit, ac prædestinat, nec auxilium tantummodo verum, & reale, physice inhærens, vel physice effectivum, aut physice efficiens: (has enim dotes omnes habitibus infusis, & auxilio sufficienti perinde convenire, dicitur) sed auxilium, quod in sua præcise entitate, ac natura tale sit, ut implicet contradictionem, in voluntate poni, & voluntatis consensum non statim sequi. Moralem Dei motionem appellavit, qua Deus hominem inducit ad effectum libere producendum: *Non ex parte tantum objecti, movendo sed ex parte potentia, perfectissime, & verissime benedictionem dulcedinis in illa infundendo, & in intellectu & voluntate reales qualitates physicas physico, & reali influxu producendo.* Hanc enim moralem Dei causalitatem semper conjungi, contendit, cum perfectissima causalitate physica, qua agit in causam, quam moraliter movet, producendo nimirum in illa, & in ejus potentia immediate infundendo per physicam, & realem actionem, qualitates illas, quibus eam interius movet, & inducit ad actum.

Ex hujuscemodi vocum expositione, ad alterum actionis caput accedens, Controversiæ statum aperuit. Quocirca statuit in primis, nequaquam hic disputari, An Deus sua efficaci gratia prævenienti moveat voluntatem ad actus supernaturales, vere, & active proprie, salva humana libertate? Id quippe a suorum nemine negari, contestatus est. Immo vero, inquit, dicimus, impossibile esse, Deum interius suadere, excitare, & attrahere voluntatem, quin illam vere, & active proprie moveat: *& tam vere, & active proprie, quam vere, & active proprie movet ignis aquam, quando in illa producit calorem. Nam qui interius suadet, excitat, & attrahit voluntatem; necesse est, ut per veram, & realem actionem producat in voluntate qualitates illas, que interius excitat, attrahit, & suadet.* Quamquam tamen, addidit Vir acutus, qualitas illa, in voluntate producta, gratia scilicet efficax, nihil vere, & active proprie in voluntate ulterius efficiat.

Sed et si quid illa vicissim in voluntate proprie efficere supponeretur; nec illo quidem in capite præsentem controversiam situm iri, contendit. Vel enim voluntatis actum, vel quid aliud, actum ipsam antecedens, physice produceret. De primo, inquit, lis nulla foret; Nam fere omnes Scriptores nostri asserunt, gratiam, quæ excitando prævenit, fieri postea adjuvantem, cooperando physice ad actum secundum voluntatis. Et Molina, gratiæ prædeterminantis accerimus impugnat, nimis est in confirmanda hac sententia de physico influxu gratiæ perveniens in actum secundum voluntatis. Et nullus unquam nostrum dixit, humanæ libertati præjudicari a gratia, quæ & a Deo vere, & active proprie infunditur; & postquam infusa est, vere, & active proprie causat actum. De secundo pariter controversia non esset. Vel enim prævium istud, a gratia in voluntate productum, ex ipsa sui natura infallibiliter consensum voluntatis inferret, aut non. Si non: certe præsentis instituto parum interesset, quantumvis hujuscemodi productæ qualitates infinitæ fingerentur, cum nulla ex iis foret physice prædeterminans, aut inimica libertati. Si autem assensum infallibiliter obtineret, adeo ut ab illo se jungi repugnet: ea quidem in parte dissensio erit; non quia istiusmodi qualitas a gratia causari supponeretur: (id quippe nihili refert) sed quia talis esse naturæ signi-

O o gi-

(1) In Theol. Schol. & hist. anno 1681. pag. 13. (2) Ad diem 26. Sept. 1605. (3) Pagina in Diario. (4) Exstat in Collect. Lemofii. (5) In Anathem. contra Nestor.

(1) Horat.

gitur, ut cum voluntatis dissenſu conjungi non poſſit.

Statuit ſecundo Ferdinandus de Baſtida, litem nequaquam inſtitui, Num Deus ſua efficaci gratia, tam ex parte obſecti, quam ex parte potentie, moveat voluntatem? Quippe duo illa, die 16. Maii anni 1599. in mutuo, eoram Cardinalibus arbitris habito, congreſſu, communi partium aſſenſu conſtituta fuerat.

Statuit tertio, non phyſicam gratia efficientiam controverti, ſed phyſicam prædeterminationem ad actum. Quæ uſque adeo inter ſe diſſerunt, ut ne ad efficientiam quidem cauſæ genus prædeterminatio pertineat: Prædeterminare enim, inquiebat, ex parte ſubjecti, eſt efficere ſubjectum; & ita efficere, ut poſtquam ſic affectum eſt, maneat adactum, & quæſi conſtitutum ad id, ad quod datur.

Quarto denum ſtatuit, non agi de determinatione in actu ſecundo, ſeu concomitanti, ſed de prædeterminatione in actu primo: nec de omni quidem hujuſcemodi prædeterminatione, ſed de illa, quæ ſit a Deo in voluntate creata, actione tranſcendente, & quæ in ipſa, tanquam in ſubjecto, recipitur, & a qua denominatur determinata intrinſece, per modum ſubjecti. Quæ denum bujuſ nature ſit, ex qua tam neceſſario ſequatur voluntatis conſenſus, ut impoſſibile ſit, illam entitatem in voluntate puni, & voluntatis conſenſum non ſequi: implicetque contradictionem, ſimul in voluntate conjungi hanc entitatem cum diſſenſu, vel cum ejus carentia conſenſum. Cæterum de phyſicæ prædeterminationis voce vitiligere noluit, modo res ipſa in conſeſſo eſſet.

Conſtituta Controverſia ſumma, in tertiam orationis ſuæ partem ingreſſus eſt. Demonſtravit, ex hoc uno diſcordia capite variarum quæſtionum amos, tanquam e prima radice, pullulare: Hinc etenim, inquiebat, celeberrima illa quæſtio, An cum æqualibus auxiliis prævenientis gratia ſit, unum converti, & alium non? Hinc natiſcitur quæſtio, An gratia prævenientis, ex ſe ſola ſit efficaciæ? An vero ad completam ejus efficaciæ liberum noſtrum arbitrium aliquo modo concurrat? Hinc illa controverſia de differentia auxili ſufficientis, & efficaci; An in phyſica eorum entitate, vel ſolum in ratione doni diſſerant? Hinc dependet quæſtio de certitudine prædeſtinationis; An in cognitione Divina, vel in ſola entitate, & natura mediorum fundata ſit? Hinc originem ducit difficultas de gratia congruitate, æſtimandane ſit ex ſola qualitate gratiæ, an etiam ex reſpectu ad ſubjectum, & circumſtantias, in quibus datur? Hinc quæſtio orta eſt, Conſiſtatne gratia efficaci in rebus his, quæ naturaliter movent, ſolique ratione uentibus communia ſunt; an vero in aliquo phyſice impellente, cuiusque agentis, & ad quemcumque voluntaris actum, etiam ſi malus ſit, omnino neceſſaria? Et pene innumere aliæ quæſtiones.

Postmodum alte, atque a capite ſingula reſumens, adverſus Gratiam ex ſe efficaciæ, ſuperius expoſitam, non tam verbis, quam furis egit uti hæreſeos Calviniana cramben, a Banneſio recoclam, Doctori Angelico perperam aſſictam, a Concilio Tridentino prædamanatam, ab Academiis obſtritam, a Viris omnium Ordium eruditis expoſitam, Eccleſiæ Patribus repugnantem, humane libertati inimicam, Gratia ſufficientis, ac Divinæ Sanctitati proſus injuriam. Ac tandem adverſa Partis Actoribus denunciavit, ut, ſi monſtrum hoc reſta exhorreſcerent, de communi conſenſu damnari finirent: ſi autem approbarent, latebras ejus omnes, ac ſinus, revelata facie, ad Apoſtolicæ Sedis Tribunal conferri, paterentur;

ut indeficienti judicio damnari poſſet, vel abſolvi.

Post hæc, forum obſequit Thomas de Lemos; qui quæſtionem ſummam, brevi facta poſitione, conſeſſionem attingit. Præmiſit, idem omnino ſonare, apud Societatis Auſtores, efficaciæ moralem Divinæ Gratia, & efficaciæ vocationis congruæ, efficaciæ pendente a libero hominis arbitrio, & efficaciæ ab effectu.

Hinc primam ſtatuit reſponſionis ſuæ partem: Deus ſua efficaci gratia movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non ſolum interius ſuadendo, invitando, excitando, aut aliter modo aliter attribuendo. Primam probationem petit ex conſeſſione Pelagianorum, qui interiores illas omnes excitaciones, ſuaſiones, gratiam cooperantem, Molinianis ſenſu expoſitam, tandem amiſerant; nec tamen Auguſtini virgam, & Eccleſiæ cenſuram eſſugerant. Secundam, quia gratiam illam, interius, ac moraliter excitantem Pelagiani proſequebantur; modo talis eſſet, ut, ſi velit homo, conſentiat, reddatque efficaciæ; ſi nolit, diſſentiat, & inefficacem efficiat. Tertiam, quia gratiam efficaciæ ad obitum uſque defendit Auguſtinus, qua & liberum arbitrium extingui, & gentilitatis fatum induci, fabulabantur non Pelagiani modo, ſed & hæretici Maſſilienſes, viri alias acutiſſimi. Quæ ſane oblocutio ne ſtipitibus quidem, ac bardis veniſſet in mentem, ſi efficaciæ, & voluntatis aſſenſu, vel diſſenſu ſuſpenſam, conſtituiſſet Auguſtinus.

Pars reſponſionis altera fuit hujuſmodi. Deus ſua efficaci gratia movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, interius ſuadendo, invitando & excitando moraliter; & etiam vere, & active proprie efficiendo, ut liberum arbitrium inſallibiliter conſentiat, ſalva in omnibus ejus libertate. Et hæc efficaciæ gratia convenienter phyſice prædeterminare dicitur. Aſſertionem utriusque Pelagianorum, & Calvinistarum errori perinde contrariam probavit Vir eruditus, ex Epistoſta decretali Cæleſtini primi, ac præſertim ex S. Auguſtini principiis, qui Deum rebelles, ac repugnantes hominum voluntates inſuperabiliter, inſeclinabiliter, invictiſſime, atque fortiſſime tranſtere, immutare, agere, inſeclere, proſequebat. Quæ dicendi rationes Divinæ Gratia viam, & energiæ longe diſtantes, & efficaciæ enuntiant, quam phyſicæ prædeterminationis voces, Scholarum uſibus accommodata.

Porro, quia Baſtida Concilii Tridentini auctoritatem frequentius appellaverat, decretis ejus, pro cauſa tuendæ neceſſitate, aliquantulum inſtituit. Canonem 4. Seſſionis 6., ad quem ille identidem provocaverat, in eundem regeſſit, & in ſua conſirmationem aſſertionis accommodavit. Dum enim, inquiebat, definiſt ſacra Synodus, liberum arbitrium, Divina Gratia excitatum, & motum, poſſe diſſentire, ſi velit, nec ut inanime quoddam otioſe rapi, contra Lutheranos & Calvinistas pronuntiat. At ſi liberum arbitrium, non moralibus excitacionibus, ac ſuaſionibus extingui, ſed gratia phyſice prædeterminante interiſſi, violenterque, ac paſſive rapi, fabulabantur. Vel ergo nihil in Lutheranos, & Calvinistas ſtatuiſſe, putandum erit: vel, ſi re ipſa quid ſtatuit, ſancti plane, Liberum arbitrium, gratia phyſice prædeterminante motum, poſſe adhuc diſſentire, ſi velit. Gratiam itaque phyſice prædeterminantem amiſiſt Tridentina Synodus; ſolamque Lutheranos conſequeutionem, Molinianis nimium familiarē, Anathemate feriit.

Additæ Gratia Defenſor, in eadem Concilii Seſſione gratiam prævenientem commendari, quæ, uti talis, nedum excitans, ætatem etiam adjuvans, & efficaciæ ſit; cujus idcirco viſ, & efficaciæ

cia ex voluntatis aſſenſu minime pendeat. Declarat præterea Sacra Synodus, (cap. 5.) ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei per Jeſum Chriſtum prævenientem gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur: ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratia libere aſſentendo, & cooperando, diſponantur. Et Canon 3. Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, ne, atque adjuutorio, &c. Gratia igitur adjuvans, colligebat Lemofius, non ſecus ac excitans, prævenit voluntatem: ipſaque viciffim & libere conſentit excitari gratia, & libere cooperatur adjuvanti.

Congreſſit & aliis multa Auguſtiniana, atque Thomiſticæ doctrina principia, pro aſſerenda efficaciæ gratia, & libertatis humane concordia. Quibus copioſe enarratis, Moliniana Scholæ doctriam a Baſtida fraudulenter fuiſſe expoſitam, demonſtravit; dum a ſuorum nemine negatum jaſtitaverat, quin Deus interiori gratia hominis voluntatem vere, & active proprie moveret ad bonum. Teſtem, ſuum exceptione majorem, objecit Franciſcum Onnes, domeſtica doctrina interpretem ſideiſſimam, qui de hujuſcemodi gratia motione diſſerens: Tota hæc, inquit, cauſaſtas gratia reduciſtur ad motionem finis, quæ metaphyſica eſt. Neque vero Baſtidiana expoſitioni prodeſſe, ait, ſi qui ſuadet, & excitat, vere proprie, & active ſuadet: aut ſi ſuaſio ipſa vere, phyſice proprie in voluntate recipiatur; ſed videndum ulterius, num vera illa, ac propria ſuaſio, in voluntate phyſice recepta, vere, proprie, & active moveat voluntatem, an moraliter tantum?

Reſpondit Bartholomæus Peres, Baſtidæ ſocius, Gratiam efficaciæ a ſuis etiam admitti, quæ hominem inſuperabiliter, & inſeclinabiliter operari faciat: ſolumque dubitationem ſuboriri, quo pacto hujuſcemodi efficaciæ in peccatoribus exercatur. Quare Dominicanum interrogavit, An in homine, prævia, & interiori excitacione pulſato, ante ejuſdem aſſenſum, præcedat aliquid, ex cuius præſta entitate, ſine ordine ad liberum arbitrium, ſequatur effectus? Aſſeruit Thomas de Lemos, modo ne entitas hæc nude, ac naturaliter accipiatur, ſed ut eſt Divinæ omnipotentia, ac voluntatis instrumentum. Sic enim propria virtute effectum obtinet, ſine ordine ad peccatoris aſſenſum, a quo pendeat, ſed quem inſeclat.

Tunc quæſiti viciffim Societatis Adores, quid ipſi hæc in parte ſentirent. Repoſuit Bartholomæus Peres, gratiam prævenientem ex Deo ipſo efficaciæ eſſe; quatenus habet a Deo virtutem cauſam ad actus. Reſponſum hoc temperavit illico Ferdinandus de Baſtida, nova Lemofii interrogatione læceſſitus. Nego, inquit, hanc gratiam efficaciæ independenter a libero arbitrio, quia nunquam ſine libero arbitrio operatur. Et paulo infra: Noſtra ſententia eſt, auxiliium efficere in ſua præſta entitate, in qua produciſtur, ſemper eſſe tale, ut cuius illo poſſit conjungi diſſenſus. Et hoc auxiliium dicitur, a ſolo Deo habere efficaciæ (hoc eſt efficiendi virtutem) non ut ſe ſolo producat effectum, ſed dependenter a libero arbitrio. Rogatus ſubinde, An hujuſce auxiliii efficaciæ independenter a Scientia-Media conſtituerent, nova domeſtica ſcholæ arcana reſervavit. Dico, inquit, gratiam hanc efficaciæ habere virtutem, a ſolo Deo. Serry Tom. I.

Quod autem hæc gratia ſit inſallibiliter habentia ſum effectum, a Scientia-Media pendeat, & non ſolum ab entitate, quam habet, a Deo produciſtam.

Reſponſum paulo explicatius deſideravit Archiepiſcopus Armachanus: Initiit in hoc ipſum Thomas de Lemos. Qui cum intelligeret, Baſtidam idcirco gratia efficaciæ a libero arbitrio ſuſpendere, quia ejus aſſenſus neceſſario requiritur, nebulas diſpellere conatus eſt: Non loquimur, ſubjunxit, de conſenſu: certum eſt enim, conſenſum eſſe ab utroque, a gratia videlicet, & a libero arbitrio. Sed quærimus, ante conſenſum, & antequam liberum arbitrium inſuat in illam, an gratia ſit efficiens, ut a Deo ipſo, an a libero arbitrio? At niſi non Molinæ Vindex, ſed iſdem verborum ambagibus deſiteſcens: Dicimus, inquit, gratiam a ſolo Deo habere virtutem efficiendi; ſed, ut ſortitur ſuum effectum, non eſſe a ſolo Deo, ſed etiam a libero arbitrio, quod ſua inſtat, ut poſſit non inſuſtere. Nec aliud quidquam ab eo ſecutus interlocutionibus extrudi potuit. Finem diſputationi fecit Sanctiſſimus Pontifex hora decima-nona.

(1) Die Sabbati, 15. Octobris, hora 12. anno Domini 1605. reſolvit Congregatio, Deum gratia ſua efficaci non ſolum movere voluntatem ad actus liberos bonos, interius ſuadendo, invitando, excitando, vel aliter moraliter attrahendo, ſed etiam vere, & active proprie, hoc eſt, vera, reali, & in hoc ſenſu phyſica motione, agere in voluntatem, ſalva ejus libertate, illam ita efficaciæ præmovoendo, ut ipſa ſub tali efficaci Dei præmotione certo, & inſallibiliter, libere tamen, ſed ipſam determinat ad conſenſum; & in hoc ſenſu convenienter dici a Scholaſticis recentioribus, talem gratiam phyſice prædeterminare. Ita conſuerunt omnes, excepto Patre Regente Collegii Carmelitarum, qui dixit, Deum ſua efficaci gratia vere, & active proprie movere hominis voluntatem; quia in ea produciſtur, tanquam vera cauſa efficiens, realem inſpirationem, quæ voluntas in actu primo, vere, realiter, & proprie inclinatur ad conſentendum inſallibiliter; ſi talis inſpiratio ſit congrua: non tamen Deum præterea movere voluntatem alia motione phyſica, prævia, & prædeterminante ad unum, cum qua poſita impoſſibile ſit conjungere diſſenſum. Dimittitur Seſſio prope horam 20.

CAPUT XI.

De Gratia ſeiſpe efficaci in ſexta Congregatione diſſinctorum agit: ac tum primum ex Scripturis Sacris; poſtmodum ex Conciliis in ſeptima.

Die 26. Octobris anni 1605. coram Paulo V. celebrata eſt Congregatio ſexta. Quæſtio, in ſuperiori congreſſu generatim agitata, minuta-tim retractata eſt; ac primo ex Sacrarum Scripturarum auctoritate.

Controverſia ſtatim in hac una propoſitione conſtituit Ferdinandus de Baſtida: An auxiliium efficax præveniens conſiſtat in entitate quadam, a ſolo Deo facta, & prius natura in voluntate poſta, a qua ſua neceſſario ſequatur voluntatis conſenſus, ut impoſſibile ſit, illam entitatem in voluntate poſta, & voluntatis conſenſum non ſequi; implicetque contradictionem, voluntatem hanc cum diſſenſu voluntatis, & cum ejus carentia conjungi?

Primo impetu pugnavit ex Apoſtoli teſtimonio 2. ad Cor. cap. 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; quod de gratia actuali, &

quidem efficaci, atque in voluntate recepta, intelligendum ostendit; ut illam & vane interdum recipi, suoque nonnunquam effectu destitui, demonstraret. Adeo vero locum hunc prolixè versavit Molina Defensor, veritque in omne latus, ut Pontifex, tedio solutus, impatientis animi sententiam palam effuderit: *Pater, inquit, sepe eadem repetis, que nos, quam-primum a te producta sunt, facile percepimus. Respondeat ad ista Pater Lemos: & tu postea prosequeris, quam preparasti dicenda: ita tamen, ut brevius agas.*

Iustus ergo dixit Thomas de Lemos. Hic, brevi præmissa terminorum expositione, probatam auditus tertius ex Augustino, ac Tridentina Synodo, veritatem ex Scripturis Sacris confirmavit, nonnulla obiter adiciens ad Scientiæ-Mediæ consultationem, in quam Divinæ Gratiæ infallibilitatem superiori congressu Balthida refuderat. Unde huiusce disputationis, ac sequentium omnium scopum, & institutum hac una conclusione complexus est. „Deus sua efficaci gratia præveniente, „nulla præsupposita Scientiæ-Mediæ, seu conditionata, hominis voluntatem ad actus liberos „bonos prædeterminat, non solum interius suadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; sed etiam vere, & active „proprie; & in hoc sensu physice efficiendo, ut hominis voluntas ad eisdem actus se infallibiliter determinet, non ex necessitate, sed juxta „proprium suum modum, salva omni sua libertate, qua potest, se non determinare, si velit.

„Mox objectum Apostoli locum retorfit in adversarium: *Si enim, Augustino teste, (1) nihil in Scripturis Sanctis a Domino jubetur, propter probandum liberum arbitrium, quod non invenitur, vel dari ab eius bonitate, vel posse, propter adiutorium gratiæ demonstrandum; profecto, dum jubet Apostolus, ne in vacuum gratia Dei recipiatur, ab ipsa gratia oriri, intelligimus, ne eam homines frustra recipiant. Rursus, si gratia efficaci, de qua loquitur Apostolus, Balthida contendit, ex directione saltem Scientiæ-Mediæ effectum præ sui congruitate certissime sortitur; dicant & ipsi Molinae Vindices, quorum horretur Apostolus, ne gratiam sine fructu recipiant, quam nusquam suo posse fructu destitui, profitentur?*

Quare Apostoli locum de Auxiliis sufficientibus, tum externis, tum internis intelligendum, ostendit, quia prædicationes, & inspirationes, hominum interdum incuria, sine fructu suscipiuntur; aut saltem habituali justificationis gratia, que ab eo frustra suscipi dicitur, qui hanc sua culpa amittit. Quanquam, si de gratia efficaci intelligendus esset Apostolus, id unum extendi posset, illam nempe absolute, & in sensu diviso frustrari posse, non in sensu composito.

Hoc ultimum, omisso aliis, occupant Societatis Theologi; qui, ut facilius repugnantia, & erroris Lemosi arguerent, Calviniano more sensum compositum interpretati sunt. Ita quippe resumpsit Bartholomæus Pezes: *Jam dicit Pater, absolute, & simpliciter non repugnare, gratiæ acceptæ dissentire: Ergo in sensu composito non repugnat; Gratia enim accepta facit sensum compositum.* Mirum, quam acriter novi interpretes excepti sint! Non ita, reposuit Lemos, intelligitur sensus compositus, ut dicatur ille, quando quis, habens gratiam, de facto illi gratiæ dissentire non possit: sed ita est intelligendus, ut homo, etiamsi de facto habeat gratiam, possit illi dissentire; non tamen possit conjugere dissentium cum gratia, ita ut

habeat gratiam, & simul dissentiat. Illos etiam subridens, compellavit Archiepiscopus Armachanus, ut interpretationis ineptiam aperiret: *Dicant Patres, An sit sensus illius loci Apostoli, quod Paulus exhortetur illos, ut non conjugant contrarium dissentium cum efficaci gratia? Si enim ita evenire posset, profecto gratia efficaci, efficax non esset. Quod ut audivit Sanctissimus Pontifex, satis ea de re dictum, ait, iussitque, Societatis Oratores alio progredi.*

Ad pervulgatum igitur Matthæi (2) locum confugere, *Va tibi, Corozait! Va tibi, Bethsaida &c.* unde probare voluerunt, vel injutam fore Corozaitarum obfurgationem, vel nullam aliam pro agenda penitentia gratiam desiderari, quam qua Corozaitis, ac Bethzaitis data fuerat; non illa quidem ab intrinseco efficaci, ac physice prædeterminans. Non abimili verborum apparatus Itæ (3) oraculum per mediam horam vestavit Ferdinandus de Balthida: *Quid est, quod ultra debui facere vinctæ meæ, & non feci? An quod exprobari, ut faceret vinctas, & fecit labruscas? Quo ex loco consequens esse, probabat, hominem peccantem, bonorumque operum fructu destitutum, omnibus tum internis, tum externis gratiis a Deo præmuniri, quæ ad edendos iustitiæ fructus necessariæ sunt; cum tamen gratiam seipsa efficacem eo in statu non habeat. Idem ex Ecclesiastici (4) oraculo colligebat: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui... Apostoli tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrigere manum tuam.* Hoc enim minus verum fore, ait, si homo gratia seipsa efficaci ad singulos pietatis actus indigeret.*

„Iis omnibus satisfecit Thomas de Lemos. De primo multa dixit. 1. Ex eo loco, juxta datam expositionem, perinde colligi posse, non nisi exteriorem gratiam pro agenda penitentia desiderari; quia de solis virtutibus, & miraculis, in Judæa factis, loquitur Christus. 2. Tyrrios, & Sidonios gratia seipsa efficaciis ope acturos fuisse penitentiam, eamque Deum conditionato decreto conferre statuisse, si nimirum Christus apud eos Evangelium prædicasset. 3. Demum Corozaitas æquo jure Tyrriorum comparatione objurari potuisse; seu quod auxiliis sufficientibus inique abusi essent; seu quod auxiliis efficacibus in præcedentium delictorum penam, ac præ nimia cordis duritie, caruissent. Ad secundum reposuit, Deum homini, solis auxiliis sufficientibus instructo, & iustitiæ fructus non edenti, iuste obicere posse: *Quid est, quod ultra debui facere, & non feci? quia re ipsa nihil debet aliud, ut recte agendi potentiam largiatur; si præsertim cætera auxilia in obdurationis penam denegari supponantur. Immo, subjungit, ad hoc, ut iste homo reprehendatur, & ei peccatorum impuritas, satis est, quod licet illi Deus non daret hoc auxilium sufficientem, illud tamen illi denegaret propter aliqua actualia peccata præcedentia, vel saltem propter peccatum Originale, ut expressa est doctrina S. Augustini De Corp. & Gratia, cap. 6. & S. Thome 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad primum.* Ad alterum ostendit, Pelagianos, illo Ecclesiastici oraculo in eundem finem abusus, ab Augustino durius vapulasse. Quasi vero adeo fit homo in manu consilii sui, tantaque palliat, quodcumque liberit, eligendi facultate, ut se Divinæ etiam Gratiæ imperio surripiat.

Tunc, collatis viribus, contra omnium Societatis Actores. Contendit Bartholomæus Pezes, hominem a peccato excusatum iri, si ei ad bonum agendum necessarium auxilium denegetur. Instiuit Balthida, Corozaitas Tyrriorum exemplo im-

immerito corripi, nisi gratias omnes haberint, quas Tyrrii fuisse habitarum; Liberum arbitrium, ejusque in partem alterutrum indifferentiam extinguat, si gratiæ seipsa efficaci imperio subjiciatur; Implari peccatores, si physici prædeterminationibus ad peccandum præmoverantur. Verum, cum easdem difficultates novis duntaxat pigmentis ornarent, illdem quoque responsionibus hæsit Thomas de Lemos: quas & resumere cæpius, & Patrum testimoniis confirmare, & clarioribus expositionibus perpolire, necesse fuit. Desit Congregatio hora decima-octava.

„Dimissa Sessio, statuit S. D. N., ut Patres utriusque Ordinis, Dominicani, & Societatis, in futuris Sessibus dicerent, quidquid ad præfatum dubium spectare putarent; auditurus postea in una, vel pluribus Sessibus, quid Consultores deputati sentirent.

Die 9. Novembris 1605. coram Paulo V. Pontifice Maximo celebrata est septima Congregatio. Adum de eadem gratia ex se efficaci, seu physice prædeterminante, ex auctoritate Conciliorum.

Primus, pro more suo, peroravit Ferdinandus de Balthida. Quinque propositiones, ex Concilio Tridentino, & Synodo Senonensi desumptas, facto Confessui proposuit. 1. erat: *Liberum arbitrium, motum, & excitatum a Deo, potest dissentire, si velit.* 2. *Liberum arbitrium potest resistere auxilio Dei trahentis.* 3. *Liberum arbitrium, inspirationem recipient, aliquid agit, nec se habet velut inaniter quoddam.* 4. *Liberum arbitrium potest abjicere gratiam, quam recipit.* 5. *Liberum arbitrium non rapitur inevitabiliter a Divinis inspirationibus.* Definitiones illas aliis totidem propositionibus, ex Banneffo, Cabezudo, Avila, & Alvaresio petitis, opposuit; quas ab eis non oscitantur, aut casu assertas, ostendit, sed ex ruendæ gratiæ physice prædeterminantis necessitate, velut ex eo dogmate aperitissime confectarias. Ppima sic habebat: *Liberum arbitrium, motum, & excitatum, impossibile est, non consentire.* 2. *Efficacia primæ causæ, seu Deo moventi, nulla inferior causa valet resistere.* 3. *Liberum arbitrium, recipiendo inspirationem, passivè se habet, & sicut velut baculus, quod inanime quoddam est, & immobile.* 4. *Liberum arbitrium, quandiu ab hac gratia impellitur, ex ejus virtute fit, ut non possit eam abjicere.* 5. *Si Deus ne decrevit justificare, non solum infallibiliter, sed inevitabiliter, & immutabiliter ita erit.*

Ne quis autem objiceret, speciosam illam dogmatum repugnantiam pervulgata sensus compositi, atque divisi distinctione conciliari; probandum sibi fumpsit, Concilium Tridentinum in sensu composito, Thomistico more accepto, intelligendum esse, dum liberum arbitrium, motum, & excitatum a Deo, dissentire posse, definitur; hoc est, liberi arbitrii dissentium cum efficaci gratiæ motionem componi posse. Alias enim, inquit, si in sensu diviso deberet intelligi; nec vera dissentirendi, & resistendi potestas humanæ voluntati superesset, nec integra traret libertas arbitrii, nec Calvinii error diminuta illa Concilii definitione profcriberetur.

Proximi & alia ejusdem Concilii Tridentini decreta, necnon Africanæ Synodi Canones, quibus, vel Divinorum mandatorum possibilitas sancitur, vel eximium perseverantiæ donum a regeneratis, & iustis sperandum proponitur, modo susceptæ gratiæ non desint, eidemque collaborare voluerint. Ex quibus intulit, Gratiam, physice prædeterminantem, Divinis mandatis implendis inutilem esse, eamque duntaxat admittendam gratiam efficacem, cui pro arbitrii nutu vel desumus, vel fideliter respondemus.

Stetit pro adversa parte Thomas de Lemos. Brevius solito dixit de Scholæ suæ fundamentis, ex Ecclesiæ auctoritate petitis: ad ea quippe se retulit, que die duodecima Octobris ex Concilii Tridentini decretis artulerat, satis se hoc de argumento in aliis congressibus dixisse, inquit, ubi Conciliorum Africanorum decreta, summorumque Pontificum definitiones, data opportunitate, commemoraverat.

Torus itaque fuit in diluendis Balthida momentis. Quocirca definitiones quinque, ex Concilio Tridentino, & Senonensi depromptas, ultra admittit; sed illas nec physice prædeterminationi contrarias, nec petitis ex Banneffo, Cabezudo, Avilensi, & Alvaresio propositionibus repugnantem ostendit. Concilium tamen Senonensis auctoritatem explosit, quod nec œcumenicum est, nec ab Apostolica Sede confirmatum. Tertiam ergo propositionem cum objecta definitione conciliavit: „Quia, inquit, liberum arbitrium ex parte „se habet active, & ex parte passive; quia a „Deo moveretur: moveri autem aliquo modo est „pati. Habet autem se active, quia homo vult „illam inspirationem recipere. . . . Concilium „autem Tridentinum solum docet, quod liberum arbitrium non habet se mere passive; non „autem definitur, quod secundum aliquam rationem non se habeat passive. „Quintam pariter catholico sensu exposuit ex principiis D. Thomæ, quæst. 6. De malo. Ex parte enim causæ secundæ, subjungit, verissimum est, quod liberum arbitrium non rapitur inevitabiliter. At vero, si consideretur motus, in quantum se tenet ex parte Dei, cuius intentio despicere non potest, immutabiliter, & inevitabiliter Deus movet talem secundam causam. Cæterarum autem propositionum orthodoxiam exposuit trita sensus compositi, & divisi distinctione, quam gravissimorum Theologorum auctoritate munivit, & a Balthida cavillationibus vindicavit.

Progressus inde Thomas de Lemos ad alteram adversæ actionis partem, efferuit aliquantum stomacho. Societatis Oratores male habuit, quod obtrita jam pridem Pelagianorum argumenta in hanc faciem Confessibus lævem imprudenter inferrent; cum illos latere non posset, quam frequenter decantatum illud, ex mandatorum possibilitate, & libertatis commendatione petitum, argumentum refricasset Pelagianum, ut Divinæ Gratiæ bellum indicerent: „Advertere debent, „inquit, Patres isti, hoc fuisse argumentum „antiquitus oppositum S. Augustino, & S. Hieronymo in hac eadem causa: quibus semper „SS. Doctores responderunt, quod homo per „sua mera naturalia, sine auxilio gratiæ, non „potest servare omnia mandata; potest tamen „cum auxilio gratiæ, unde absolute, & cum „omni veritate, ac proprietate potest illa servare; & quamvis non sine efficaci auxilio illa „servabit de facto, potest tamen illa servare „per auxilium sufficientem, quod Deus solet illis „misericorditer dare. . . . Similiter iustificari „semper habent auxilium sufficientem ad perseverandum; & nisi illi defuerint gratiæ Dei, peccando, Deus dabit illis auxilium perseverantiæ. „Cæterum quod ipsi non desint gratiæ Dei, ex „dono Dei est, & ex ejus efficaci auxilio gratiæ, sicut ex prima causa, &c.

Lemosio hac officii sui parte exsoluto, in suam defensionem ingressus est Didacus Alvares, nec se a Balthida temere provocari sivit. Illum pessimæ fidei postulavit, quod tertiam propositionem, ab ipso sub Actionis initium vellicatam, ex ipsius in Isaiam Commentariis desumpsisset, cæteris dolose avulsis, unde subdubius sensus exponi posset:

(1) Lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. num. 23. (2) Cap. 11. (3) Cap. 5. (4) Cap. 15.